



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De ciconiis, quibus Prior Cisterciensis benedictionem dedit, cap. 58.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Psa. 113.*

tatem ibi esse poterant; Voluntas Dei potentia eius est, vnde in psalmo: Omnia quaecunque voluit Dominus fecit, in caelo & in terra, &c. Putas Deo placere, cum Nisi, Accipitres, Grues, & caeterae huiusmodi aues, ad leuitates nutriuntur? Absit: possunt tamen aliqua, utputa ciconia, ad necessitates a religiosis nutrirsi siue hospitari, de quibus propter occasionem miraculū tibi recitabo.

## CAPVT LVIII.

**A** pud Cistercium, vbi caput est ordinis nostri, plurimae nidificant ciconiae: quod ideo a fratribus religiosis permittitur, quia per illas non solum monasterium, sed omnia in circuitu loca, ab immundis vermibus mundantur: hyeme appropinquante recedunt, & tempore certo redeunt. Die quadam, cum acies suas ordinassent ad peregrinandum, ne hospitalitatis concessae immemores esse viderentur, conuentum, qui eadem hora in agro laborabat petentes, eumque crebrius grutillando circumuolantes, omnes in admirationem verterunt, ignorantes quid peterent. Ad quos Prior: Puto quod licentiam petant recedendi, eleuansque manum benedixit eis: Mox mirum in modum cum multa alacritate simul auolantes, monachis exeuntibus in viam, qui regularem benedictionem accipere siue expectare paruipendunt, magnam verecundiam incusserunt. **APOLLONIVS:** Quid dicturi sunt homines rationales Dei dono ingrati, cum audierint columbas obedire, ciconias regratiari? **CÆSARIUS:** Hoc est quod Dominus per Ieremiam Prophetam populo suo Israël improperat, dicens: Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. **APOLLONIVS:** Vbi habitant aues istae in hyeme? **CÆSARIUS:** In locis vti que calidis.

*Ierem. 8.*

## CAPVT LIX.

**S**icut mihi retulit quidam sacerdos, pater aliquis familias plurimos habens nidos hirundinum in domo sua, & hoc ipsum, de quo tu quaeris, disce-  
deside-